



homines quaerere ab his, qui in terra sancta fuerunt, de magnitudine vallis, an sit ita lata, quod ibi possent stare omnes homines in iudicio? Praetermissis enim omnibus aliis de vallis Josaphat magnitudine sunt simplices solliciti, et nonnumquam factum est, et fit, quod aliqui peregrini ponunt sibi lapides in valle, praecoccupare volentes locum ante iudicium, ut in iudicio sedendi ibi habeant oportunitatem. Et aliquande simplices quidam dant pretium peregrinis in Jerusalem peregrinare volentibus, ut lapidem pro eis signent locum in valle Josaphat, quo se credunt venturos ad iudicium. Quaerentibus ergo de vallis illius magnitudine, in veritate respondendum est, quod vallis illa non est magna, et sub ista dispositione, ut nunc est, non esset capax unius gentis, vix enim possent in ea stare Suevi illi, qui actu in humanis sunt, taceo de illis, qui fuerunt, aut erunt. Tempore autem iudicii erit alia vallis illius, sicut et totius terrae dispositio, quia ante iudicium conflagrabitur mundus et purgabitur non solum foeditatibus, sed etiam ab angustate, ita, quod loca angusta erunt spatiosa, sicut prava, indirecta et aspera in vias planas. Quod autem vallis illa amplianda erit, patet Zachar. 14., ubi habetur, quod mons Oliveti scindetur ab oriente in occidentem, et una pars montis erit ad austrum, alia ad aquilonem, (151A) et erit illa scissura montis profunda, sicut vallis Celacin continuabitur ab occidente.

Aliam scissuram habebit mons Oliveti ab aquilone in austrum; ita, quod illae duae scissurae se intersecabunt ad modum crucis, et mons Oliveti in crucem divisus erit, ei in vallibus crucis stabunt judicandi. Hac autem divisione facta nemo sit sollicitus de loco, etiam si haec mundi species maneret, qui satis spatiosus erit, cum scissura montis Oliveti contra orientem habeat in fine suo campestria latissima Jericho, et solitudines ingentes Jordanis, in quibus mundi homines capi possent.

Dicendum est etiam illis, et melius, quod illi, qui bene, sancte et virtuose hic vitam finierunt, habebunt quietissima loca standi sibi parata per suos angelos. Vitiosi vero et mali habebunt loca nimis arcta et poenosa, et valde male stabunt, ita, quod totus mundus videbitur eis nimis arctus, et montibus

408

406

412

402

417

397

457

357

307

Ende

Anfang